



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Sessio Nona. Bononiæ Celebrata Die XXI. Mensis Aprilis, M. D. XLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

SESSIO NONA.

BONONIÆ CELEBRATA DIE

XXI. MENSIS APRILIS,

M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis

Ec sacrosancta œcumenica & generalis Synodus, quæ dudum in ciuitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in eam nomine Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ III. eisdem Reuerendissimis Dominis D. Io. Maria, Episcopo Prænestino, de Monte, & Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, S. R. E. Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, considerans quòd die vndécima mensis Martij, præsentis anni, in generali publica Sessione, in eadem ciuitate Tridenti, & in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus, & legitimis, interueniente etiam auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, eisdem Reuerendissimis præsentibus etiam specialiter concessa, decreuit & ordinauit, Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem transferendum esse, sicut transtulit; itemque Sessionem præsentis die vigesima prima Aprilis, illic indictam, ut de Sacramentorum & reformationis materijs, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur & promulgarentur, in hac ipsa ciuitate Bononiæ celebrari debere. Consideransque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueuerunt, his superioribus, maioris hebdomadæ, & solemnitatis Paschalis, diebus, in proprijs Ecclesijs occupatos, aliquos etiam alijs impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen breui affuturos sperandum est; ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta Synodus desiderabat, Prælatorum frequentia pos-

tuerint materia ipsa Sacramentorū & reformationis examinationis examinari & discuti: vt omnia maturo consilio, cū dignitate & grauitate debita fiant; bonum, opportunum, & expediens censuit, censetq; Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis, infra Octauam Pentecostes proximè futuram, quo ad ipsas materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maximè opportunam, & Patribus præsertim absentibus percommodam iudicauit & iudicat: Hoc tamen adiecto, quòd terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata Congregatione, restringere & imminuere possit & valeat.

SESSIO DECIMA,
BONONIÆ CELEBRATA DIE
II. MENSIS IVNII,
M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.



AMVIS hæc sacrosancta œcumenica & generalis Synodus Sessionem, quæ die vigesima prima mensis Aprilis proximè præteriti, super Sacramentorum & reformationis materijs in hac inclyta ciuitate Bononiæ, ex decreto, in vrbe Tridentina, in publica Sessione, die vndecima mensis Martij promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos breui affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam & prorogandam esse decreuerit: volens tamen cum ijs, qui non venerunt, etiam adhuc benignè agere eadem sacrosancta Synodus, in Spi-